

F. N. F.

6. 15.
N

DISSERTATIO CHYMICA
De

AURO,

QUAM
DEO BENIGNE ADJUVANTE
PRÆSIDE

JOHANNNE JACOBO

Waldschmiedt/

Serenissimi Hassiæ Principis Medico

Cubiculari, Professore Medicinæ Primario &

Physices ordinario. p. t.

Rectore Magnifico,

Eruditorum submittit examini

WILHELMUS HULDERICUS

Waldschmiedt/ Hanoviensis.

In Auditorio Medico.

D. 29. August. An MDCCLXXXV.

MARBURGI CATTORUM,

Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.



0
J. M. J.
DISSERTATIO CHYMICA

AUROR

DEO BENIGNE ADIVANTE
PRESIDE

JOHANNI JACOBO

Secundum Hæsis Principis Medico

Coliculan, Professore Medicinæ Prætorio &

Physicæ ordinario, p. a.
Rectoris Augustinæ

WILHELMUS HUBERICUS

Typis Johannis Josephi, in Regia Universitate
Lipsiensi, 1774.



(3)



J. N. J.

I.



Udoxus rogavit aliquando Deos, ut sibi facultatem darent, solem, proximè cernendi, ejusque formam, magnitudinem, & pulchritudinem proximè contemplandi: Mallem ego Solem, metallorum facile principem, & regni mineralis Phœbum, Aurum, proximè & in cunabulis suis, non solum contemplari, sed in principia ejus constitutiva profundius inquirere, ut non tam oculos cum vulgo, quam animum cum eruditis pascerem, atque reconditos telluris thesauros cogitationibus meis perlustrarem. Neque enim me sacra auri tenet fames, ut inde ditescere velim: qui sorte meâ contentus, manibus meis obicem posui, nesciis peregrinum hunc hospitem excipere, aut tali veneno oculos meos contaminare; cum à Deo & Principe meo habeam, quo de præsentī me alere possim; de futuris enim ne cogito quidem, est qui his finem & incrementum dare potest, in cujus manibus fatum meum æquo & firmo stat talo. Nunc ad rem ipsam me accingo.

II.

Rogatus non nemo cur aurum palleceret, appositè respondit, quod tot quotidie expositum esset insidiis. Hinc

A 2

nomen



nomen suum inde accepisse quidam existimant, quasi diceretur metallum quod omnes habere percupiant, illudque tanto studio quæsitum sollicitè custodire. Cœterùm inquirendum nobis erit in partes ejus constitutivas, inq; patriam & indolem, ut perspectum reddamus, in qua telluris regione vellus hoc aureum abscondatur. Itaque aliorum missis conjecturis rectiùs supponimus, interiorē terræ partem centrali igni magis vicinam maximam sui partem esse metallicam, sed hominibus ob nimiam profunditatem inaccessam: intra cujus poros producuntur & acuuntur salia, generantur moleculæ sulphuræ, & tria illa chymicorum Principia suos habent natales. Quod autem Natura in superiori, nobisq; magis vicina, terræ parte, suum pandat Gazophylacium, id tum solari tum centrali igni in acceptis ferendum est: Horum calor mercuriales atomos usq; adeò volubiles quâ datâ viâ è terræ gremio versus superficiem propellit, quæ plurima ramenta metallica salinasque atque sulphureas particulas secum abripiunt, iisque aliis terrestribus intimius junctis superiorem terræ partem fecundam faciunt, ut montes quandoque parturiant aurum, variæque varii generis venæ metallicæ disseminentur, per longiores terræ tractus atq; ambages diffusæ, cujus rei veritas illos laterenon potest, qui fodinas metallicas improbo labore scrutantur. III.

Si conjecturæ esset locus, dicerem Plutonem in centrali terræ parte sua fixisse tentoria, huncque locum esse, in quo damnati suos patiuntur manes, & quem gehennam vocant. Horrenda hæc est abyssus, quæ terræ tangit centrum, ubi ignis nunquam intermoriturus metalla instygios latices convertit, quibus damnati immergun-

¶ (5) ¶

guntur, ut nunquam emergant. Videbis hic furnum reverberatorium, in quo fæx hominum calcinatur, ut in ipsis cineribus singulis momentis reviviscant. Videbis mille torquendi modos, prout sua quemque his in terris traxit voluptas, quibus condemnati sine modo castigantur. Ille fuso innatabit ferro: hic venerem undiquaque candentem amplectetur, & teneri nervi, tantopere à ramentis metallicis in orbem vibratis convulsi, miseræ animæ inexplicabilem inferent dolorem: contremiscent deflagrantis corporis partes, audietur dentium stridor, & desperabundi ejulabunt omnes. Erunt quorum faucibus potabile aurum infunditur, ut sicuti Cyrus apud Herodotum & Justinum sanguine, hi aureo flumine satientur, cujus insatiabiles semper fuerunt.

IV.

Sed è diverticulo in viam: Aurum est metallum solidum, fusile & ductile, compositum ex terra sulphuræ fixâ, salina & mercuriali. Mercurius ductibilitatem largitur: sal concretionem juvat & basin constituit. Sulphur dat animam, & facit, ut sit indestructibile & corruptionis expertus. Nam facilius est aurum componere, quam destruerè, usque adeo compactæ sunt omnes ejus partes, ut vix ita dissolvi possint, quin non statim mutuos iterum ruant in amplexus.

V.

Quamvis autem metallum hoc omnium sit defæcatis-
simum, ejus tamen partes admodum inæquales deprehenduntur, quoties per optimum microscopium conspiciuntur: videbis enim oculo armato auri superficiem admodum asperam esse, porulis & cavernulis indefinitæ configurationis perviam: argumento, varii generis ætherem facile admitti posse, non multum abludentem à

A 3

natu-

natura ætheris sanguinem nostrum animantis, ut vel propterea aurum audiatur Medicamentum inter cardiaca haud postremum.

VI.

Fuere quidem, qui aurum ceu inutile terræ pondus forò medicò proseripserunt, nescii, illud in gravissimis etiam morbis magnæ esse energiæ, & multa egregia inde parari posse remedia: cum quibus nobis nunc non sunt feræ, ratione & experiètiâ edocti, eos omnes errare, qui persuasum habent, aurum in substantiâ exhibitum morbi causam nunquam attingere, nec ventriculi auscultare fermentationi, aut faciles digestioni duodeni præbere aures. Fac enim hæc ita se habere, nunquam tamen inficiaberis, unum quodlibet medicamentum cœlestem quandam, siue certi generis ætherem, sanguini nostro in ferre, ut ut etiam primam quandoque subterfugiat fermentationem in ventriculo. Materia hæc ætherea, prout sanguinis motui plus minus resistit, totâ die varia ludit dramata, ut in purgantibus plus minus vehementibus, venenis, aliisque plurimis, tum in corpore nostro, tum extra illud in liquoribus fermentantibus & acescentibus, vine, cerevisia, lacte, & aliis sæpe sæpius experimur. Dicimus itaque aurum transmittere materiam subtilem, parum vel nihil à natura ætheris sanguinem nostrum pervadentis abludentem, qui fluiditatem & mixtionem debitam indefinitarû istarum partium massam sanguineam componentium conservat. unde palam fit, quod aurum in substantia exhibitum & ad sanguinem devolutum, egregiè præservet à putredine, novum vigorem singulis momentis superaddat, & totû corpus instar panacæ contra obstructions, aliosque hostiles insultus vindi-

vindicet. Hæc est vis illa radiativa Helmontianorum, quam imperceptibilem esse autumant: Hæc spiritus ille, tum influus tum insitus: Hæc character seu idæa seminalis hæctenus inexplicabilis; Sola illa materia ætherea est, quæ sicuti tempore vernali à sole orbis in hæc inferiora spargitur, ut torpescentes actuet spiritus, & sanguinem accuratius commisceat, ita à Sole metallorum per universum dispensatur sanguinem, vires contritas restaurat, cordi robur addit, & nectaris hujus vitalis defæcationem & despumationem ex voto promovet, ut meritò remedium multæ expectationis vocetur.

VII.

Verum sub judice lis est, an aurum ita crudum, & ignis torturam nondum expertum, quale è fabulo elutriatur, & **Wasch-Gold** appellatur, feliciori cum successu exhibeatur, quam illud, quod jam ignis sustinuit vim & examen. Equidem non ignoramus, sæpius credulitati, consuetudini & superstitioni quid dandum esse; omni quippe caret fundamento, si v. g. annulo matrimoniali, in fidem dato, plus virium conferre velim, quam auro alii usui consecrato, cum aurum quæ tale, modo à fordibus & recrementis metallicis probè fuerit liberatum, exoptatos hos in morbis exferat effectus, tum intus exhibitum, tum foris etiam appensum aut impositum. Neque enim est de nihilo, quod variolosis commendemus annulum aureum oculis sæpius admovendum, ut ab inflammatione & exulceratione eos servent immunes: in impotentia ex incantatione multum pollet aurum certâ conditione in usum vocatum, quo labefactatæ partes genitales locantur in solido: Sic Dæmones quandoque ipso fugantur auro, quod hominem reddit cordatum, audacem, & spiri-

spiritus tum vitales, tum animales restaurat, ne tam facile ob nubilari possint.

VIII.

Non minoris energiæ præsidium est, si intus exhibeatur, ad quod ceu salutis anchoram confugiant illi, quos jam mors præstolatur. Celebris hoc nomine est pulvis aureus illustris Medici viennensis, Antonii de Pozis, quo non semel deploratos ex orci faucibus ereptos novimus.

℞. Rasur. Ebor. ℥ss.

Pulv. Marchion. ℥iij.

Auri per trituram longiorem
in pollinem redacti. ℥iijss.

Bezoar. Orient. Ver. ℥ij.

Unicorn. Marin. ℥j. F. pulv. dos. à gr. v. ad Scr. j.
vel ℥ss. cum aqu. C. Cerv. citrat. vel cerafor. lavendulatâ.

IX.

Pari successu exhibetur Epilepticis in substantia. Hinc encomium meretur secretum Antiepilepticum, ad quod, Teste Bartholino, tanquam ex Æsculapii fano depromptum, multi confugiunt, ac non pauci vim salutarem ex usu remedii hujus ad huc dum sentiunt.

℞. Cran. human.

fem. pocon. an. Scr. ℥ss.

succin. alb. gr. vij.

Auri heredit gr. ij.

Margarit.

Corall. an. gr. v.

sambuc. cortic. ex falic. nascent. gr. X,

Castor. gr. iij.

Pulv. Calendul. gr. IX.

F.P. detur c. aqu. Lavendulæ.

X. Sunt

97(9)26
X.

Sunt, qui aurum candefactum & in aqua appropriata, aut etiam vino, sæpius extinctum, hydropicis, ictericis, atq; arthriticis commendent; Et notum est, quanti hoc remedii genus Burthius & Poterius æstimaverint. Neq; deest ratio: Cum enim quædam auri ramenta, vi ignis soluta, liquori confundantur, nulli dubitamus, quin amicum sanguini inferendo ætherem, etiam per solam hanc viam extinctionis, periculosissimis mederi affectibus & contumaces in morbis chronicis obstructions reserare possint. Notari tamen velim, me hîc loqui ex hypothesi, quod videlicet de substantia auri candefacti & in liquore sæpius extincti quid abscedat, nisi enim hoc fieret, potius fatuum dicendum foret remedium, omni sua virtute exutum. Neque me latet, quosdam ex turbatione liquoris particularum auri secessionem conjecturare, sed quã titubante hoc argumentum incedat gradu, ostendit celeberrimus Bohn, cum à particulis salinis è pabulo ignis eruētatis qui vis sincerus liquor facilè turbetur, ejusque textura brevi immutetur.

XI.

Progrediendum nunc ad varias Auri præparationes chymicas, inter quas haud postrema est, quæ nobis Aurum fulminans sistit, inde dictum, quod manibus familiaris contrectatum, & leviter incalescens, maximo cum strepitu fulminet, vimque suam explosivam non sine adstantium terrore & periculo exferat, ut unicus etiam hujus pulveris scrupulus vehementiorem edere possit sonitum, quam dimidia libra pulveris pyrii, imò juxta Willisii calculum, unicum ejus Granum cum tanto impetu, explodatur, & strepitum edat, qualem non centu-

B plum

plum pulveris pyrii. Est autem nihil aliud quam calx
auri, sive aurum ope aquæ Regis solutum, & cum oleo
tartari sensim in calcem præcipitatum, post menstruò le-
viter abstractò aquâ dulci sæpius lotum, & exsiccatum.
Medicamentum profectò haud contemnendum: datur
ad aliquot grana in febribus intermittentibus ante paro-
xysmum; in Tympanitide, iliaca, cardialgia. Externè
laudatur in ulceribus sordidis, fistulis ani, cum diascor-
dio, terebinthina, gummi elemi vel melle subactum.

XII.

Quæritur quænam vera stupendi hujus fulminis sit
causa? cui quæstioni enodandæ facem non levem præfe-
runt illa, quæ alibi de natura & ortu ignis docuimus, quo-
rum summa hæc est, quod nempe ignis tunc producat,ur,
quando particule terrestres, expulsis globulis soli primæ
materiæ Elemento innatant, quæ si rigidæ & ad motum
retinendum aptæ natæ fuerint, magnam in momento
excitant rarefactionem, prout in pulvere Pyrio quotidie
videmus. Eundem in modum pulvis hic flammam con-
cipit, quando à superveniente calore spicula salina intra
poros occultata, & expulsis spherulis secundi Elementi,
vehementissimo motu abrepta, secundum omnes di-
mensiones vibrantur.

XIII.

Sic tandem ad famosas Solis tincturas contemplandas
ducimur, visuri, an decantatæ illæ quintæ essentiæ vulgò
dictæ pro genuinis, aut apocryphis haberi possint. Ange-
lus Sala, chymicus cordatus & candidus, multis iisque soli-
dis persuadere contendit rationibus, Aurum nunquam
ita solvi posse, ut quid de sua substantia Menstruo largia-
tur, quo rubicundum & purpureum induat colorem

Hinc

¶ II ¶

Hinc non veremur publicè profiteri, vulgares chymico-
 rum Tincturas Solis non genuinam esse prolem auri, sed
 adulteratam & pro fuco faciendo natam, quippe color
 ille, non soli, sed menstruo in acceptis ferendus, qui usq;
 adeò superficialis est, ut facile mutuatitiâ hac veste exui
 possit. Stataurea chymicorum regula. Omnia Metalla
 simulac vel liquidam, vel salinam formam sunt adeptâ,
 simplicia esse desinunt, vereque dici res compositæ me-
 rentur, quandoquidem absque adjectione solventium in
 his formis, neque consistere, neq; persistere diu possunt,
 usq; adeò, ut si illis priventur, has quoq; pari ratione depo-
 nant & tanquam postliminiò redeant ad consistentiam
 solidâ priorem. Hæc certè regula omnes Solis Tincturas,
 hætenus tantoperè laudatas, de ponte dejicit, ut antiquâ
 suâ hæreditate, possessione & famâ excidant, cum ex ipsis
 processibus abundè satis constet, colorem flavum, vel
 purpureum non sulphuri auri, sed saccharo & Spiritui vini
 deberi, cujus sint pro exemplo sequentes Auri tincturæ.
 ℞. Fol. ☉ libellum, j. sacchar. cand. ℥j misceantur in
 parva phiala bacillo ligneo, in leni calore arenæ, huic
 pulveri post affunde Spirit. vini sale volatili urinæ exalta-
 tum, stent in digestionem, donec spiritus tingatur. ℞. Fol.
 ☉ q. v. misce cum sale tartari, affunde spiritum vini
 cumque accende ad deflagrandum, repete id aliquoties,
 residuo pulveri affunde tandem recentem spiritum vini,
 & habebis tincturam auri rubicundissimam. Risum te-
 neatis amici, has enim solis esse tincturas credat judæus
 Apella.

XIV.

Verum enim verò ita actum quoque esset de Auro po-
 tabili, cui tamen sua hætenus apud plures constitit laus &
 fama, Medicamentum hoc commune habuit fatum cum

B 2

menda-



mendaciis, quæ eundo per ora hominum crescunt, quippe ab hoc benignè fuit susceptum, ab altero è contra inique habitum, cum fortè uterque ab affectibus abrepti infidum tulerint iudicium. Dicendum itaque quod res est. Nempe ambabus largimur manibus, ex auro & appropriato menstruo potabilem parari posse medicinam magnarum in morbis curandis virium. Et vel unicum illud Francisci Antonii Londinensis Aurum potabile, cujus fama ex Anglia per universum divagata est orbem, & non ita pridem cura Alberti Othonis Fabri Medici regii revivixit, omnem dubitantibus excutiet scrupulum; cum ipsa omnium rerû magistra Experientia illud tot successibus fortunatis æternitati consecrarit. Sed hæc aliaq; scopum non feriunt, cum tale aurum potabile imaginarium quid sit, in eo enim cardo rei vertitur, an aurum in oleum, seu fluidum corpus ita redigi possit, ut sola extracta anima, nec calx, nec sulphur in verum aurum reduci possit. Id quod constanter negamus, & omnes istos laterem lavare contendimus, qui id tentare volunt, quicquid etiam nobis in contrarium objiciant creduli quidam chymici: Est enim de natura auri, ut ratione sui sulphuris sit indestructibile, & quocunque etiam vexetur modo, semper ad pristinam artificis manu reduci possit formam.

XV.

Plura quidem fateor hic in contrarium objici solent argumenta, quæ tamen ceu plumbea tela facile inverti possunt. unicum restat celeberrimi Langelotte inventum, nuper inter prætermissa in rebus chymicis collegio Naturæ curiosorum communicatum, quod plus roboris in propugnando auro potabili præ se ferre videtur. Verba doctissimi hujus Viri ita se habent. Ad tritum, dicit,
me

me nunc converto, pharmacopæis quidem satis usitatum, non item chymicis, quibus paradoxon forsan videbitur, quod cum tantis laudibus evehem, dicamque eò solò miranda posse in Chymia patrari. Perfacile verò omnem eum assensurum, mihi confido, qui modo in sequentes duas operationes oculum animumque intenderit, quarum utriusque experimentum in Laboratorio nostro factum. Mirum equidem & id quoque primitus nobis accidit, Aurum, fixissimum illud, ut chymicorum more loquar, corpus Tritus imperio se subdere, quod alibi nec ignis, extremo mundi Tyranno, nec aliis fortissimis quibusve mensuris cedit, cessit tamen ei, uti his oculis vidimus, verum adhibito instrumento singulari, cui obmirandum hunc usum Molæ philosophicæ nomen indidimus, cujusque structuram eò accuratius hîc delineandam curavimus, quoniam omnis hujus operationis momentum ab ea dependet. Aurum itaque foliatum q. v. in minimas particulas conscissum, mortario vitreo densissimo inditur, inque eo charta tantum tecto, ne pulvis vel aliud quid incidere queat, noctes atque dies continuâ molæ agitatione tamdiu teritur, usque dum in pulverem subnigrum convertatur: Cui tritus ut plurimum 14. dies insumendi sunt. Dein pulvis hic Retortulæ non nimis profundæ sed planæ, quales Anglicæ esse solent, immisus, igne arenæ per gradus, eoque tandem fortissimo pellitur, & sic stillabit paucas quidem, sed rubicundissimas guttulas, quæ vel per se, vel cum spiritu Vini Tartarificato digestæ, verum exhibent Aurum potabile, non fucatum, vel ulla aliâ peregrinâ qualitate infectum. Residuo (quod ipsum quoque facile Tritu poteramus resolvere) acetum nostrum Philosophicum ex viridi

B 3

æris,



æris, & sulphure cum spiritu vini longâ digestionem con-
fecto, adfudimus, & sic iterum rubicundam Tincturam
accepimus magnarum itidem virium. Paucissimum
quod superfuit, beneficio borracis in corpus reduximus,
sed pondus ei debitum defuit. Rudis utiq; primò aspe-
ctu videtur operatio hæc, quæq; multum saltem tempo-
ris & laboris requirit, verum in recessu mirabilis plane
est, à mirabili illo Sale Aëris unico solvente catholico ad-
juta. Huc usque prælaudatus Dn. Langelotte, cujus in-
ventum grave negativæ sententiæ circa auri potabilis
existentiam inflixit vulnus. Liceat autem mihi exerci-
tj gratia quædam movere dubia. 1. videtur oleum istud
nil aliud esse, quam sal aeris in fluorem redactum, quod
fortè quasdam auri particulas secum abripuit, ut & hæ
alembicum transcenderint. Retulit mihi amicus, se non
ita pridem Retortam figulinam aeri nebuloso diutius
expositam violento commisisse igni, eamque liquorem
rubicundum in vas recipiens eructasse, quem haud ine-
pte oleum philosophorum vocabat. 2. Cum aer priva-
tus in laboratoriis multis salibus imprægnatus sit, facilè
aliis sese insinuare poterunt corporibus, si horum com-
pages laxetur, hinc vasa polita brevi etiam temporis
spatio in laboratoriis maculis tinguntur, imò eroduntur.
3. Præsupponit Vir prælaudatus, Mercurium æthereum
aeri inexistentem ab Auro attrahi ob Magnetismum,
quem magnetismum recentiores inter non entia me-
ritò referunt, quod talis attractio à prudentioribus in-
telligi nequeat. 4. Dicit in præfatione in Experimenta
Tilemanniana posse in locum Tritus substitui Sal Tartari
probè depuratum, concentratum & sale Catholico im-
prægnatum, quò aurum pari successu recludatur, sed
cum

cum talis tinctura, pro tinctura salis potius, quam solis habeatur, quidni simile de priori ferre licebit iudicium? Quæ omnia non eò dicuntur animò, quod forte inficias ire velim, tincturam tot tantisque in curandis morbis pollere viribus, sed potius ut evincam illam non esse centralem Auri solutionem. Interim semper ad ipsum attendendum erit menstruum, quorum tot ferè recensentur, quòt auri potabilis prostant processus. Sunt enim qui solutionem instituunt in via humida per spiritus corrosivos v. g. salis, nitri: &c. Alii in via sicca per amalgamationem cum mercurio, vel cæmentationem cum salibus id tentant. Multi insipidum quoddam jactant menstruum ex rore majali, nive, aqua tonitruali, vel etiã spiritu mundi paratum, sed & hic dubitatur à sagacioribus, an ejusmodi fontes, è quibus universalia menstrea hauriri possint, ullibi in rerum natura scaturiant.

XV.

Quamvis autem usum externum superius etiam commendaverim, non possum tamen non, quin hic adjiciam, & Auro suam in curandis scrophulis & Cancrosis affectibus constare laudem, de quo vide Ephem. N. C. Ego aurum foliatum prius in mortario pistillo plumbeo cum Emplastro Saturnino subactum, paucos ante menses adhibui in Cancro exulcerato mammæ sinistrae, successu utque adeò prosperò, ut dissipatò tumore schirroso reliquum cicatrifari posse nunc appareat, & vel ex hoc solo remedio externo salutem sibi promittat urbis nostræ civis, si non primarius, saltem pietate & sinceritate animi nemini secundus. Admodum quoque conducit illis, qui Mercurialibus imprudentius usi sunt, si vel in Globulos redactum deglutiatur, vel saltem in ore deti-
nea-



neatur, videbis enim illud tandem albicante obduci colore, quod atomis mercurialibus omnes corporis regiones permeantibus acceptum ferendum.

XVI.

Sed aurum nobis vellicat famosus philosophorum Lapis, de ejus confectione & metallorum transmutatione quædam dicenda veniunt, priusquam colophonem huic imponamus dissertationi; Ut autem nebulas hæc è alacrius discutere possimus, notandum est, nos per Lapidem Philosophorum intelligere Tincturam universalem, ita meteorisatam, ut super metalla ignobiliora projecta, ea fulminis instar absque omni sensibili corrosione pervadat, & ramenta ipsorum ita disponat, ut pondere juxta ac colore optimo æquivalent Auro. Egregium profecto artificium omnes instar blandientis scorti invitans, paucos admittens: Dignum cæteroquin studium, in quo ingenium exerceamus, cum labores & sumptus cum sænore compenset, plusque afferre possit lucri, quam omnes nostræ distinctiones, argutiæ & Syllogismi, cujuscunque etiam fuerint figuræ, quibus horas fallere solemus: Hoc unicum argumentum meretur, ut pro hoc lapide acquirendo omnem moveamus lapidem, imò omnes abjiciamus libros, quibus evolvendis ita quandoque insudamus, ut lapidem quidem acquiramus non philosophorum, sed renum, & Tincturam universalem accipiamus, matulam, non metalla, tingentem & crusta tophacea investientem. Sed nullus dubito, quin jam salivam Tibi moverim, ut scire desideres, ubi degat rara hæc avis. Ita enim est, Amice, suavia hæc de philosophorum lapide insomnia omnium ferè occuparunt animos, ut qui hodie negare velit metallorum transmutationem, habea-

habeatur indoctior ; hinc nec ego hunc lapidem inter non Entia referre audeo , quamvis non desint rationes, suadentes ejus confectionem extra cerebri pomœria omni carere fundamento : ne forte idem responsum feram , quod Pontifex tulit à Fratre Ferrario. Alterum, dicit , sancte Pater, quod attinet argumentum , pace Tuâ respondeo. Non Est Verum. Nam quis inficiabitur fuisse qui artem hanc calluerint ? Sed nancisci præceptorem ingenuum, reperit e Oedipum, qui in Hermeticâ hâc apocalypsi Te dignetur solvere sigillum & aperire librum, hoc opus hic labor est. Quis quæso extricabit se è tot labyrinthis destitutus filo Ariadnæo? cum ipsa præcepta vel in mille sensus torqueri possint. Quis impervestigabilem hanc teret viam, cum vel ipse Philaletha nesciat ad Regis palatium introitum? Bono itaq; esto animo , ostendam in quo negotii hujus cardo vertatur, quod totum eò recidit, an metalla in radice conveniant, & ex uno eodemque semine metallico, ob digestionis mixtionis & maturationis defectum, quandoque in vilius & ignobilius terræ metallicæ maritato efflorescente metallum ortum suum trahant , quem defectum tempus edax rerum compensare possit, ut ignobiliora etiam metalla tandem in perfectiora abeant , vel artis chymicæ beneficio in melius mutari possint? an vero ipsa metalla à Deo olim creata nunc numero & pondere talia adhuc prostent citra ullum vel incrementum vel decrementum ? Verisimile quippe est, germinandi vim solis vegetabilibus & animalibus sancitam esse, cum nec lapides nec metalla sui simile producant, sed avulsa à compage iterum hinc inde coalescant, & ad pristinum redeant ingenium. Interim Alchymistæ
C susci-



suscipiunt prioris sententiæ patrociniū, supponentes
 semen metallicum seu materiam metallorum proxi-
 mam esse unctuosum humidum cum obvio sulphure &
 sale, prævia digestionē & maturatione, in perfectum
 concrefcens aurum, quod ignis fatui vel errantis ge-
 nii instar triplex oberrare solet regnum, & in omnibus
 corporibus, ipsis etiam excrementis non exceptis, repe-
 riatur. Quodq; concentratum Tincturam largiatur omnia
 metalla in aurum transmutantem. Verum multi quoq;
 sunt qui imaginarias has rident divitias, aliorum reales
 opes evertentes, ita enim fraudulentorum hominum
 turba crevit, ut nusquam amplius tutasit fides: Promittunt
 artis hujus periti vel quasi, montes aureos, cum ipsi ne
 obolum etiam habeant, quò restim emere queant, quia
 fumum vendunt, digni ut cum Alexandri Severi impo-
 store fumo perirent. Ab his fumivendulis cave tibi serio,
 & si artem hanc addiscere, & per ignē fieri velis Adeptus,
 noli primam lapidis materiam in vulgari quærere auro,
 quod ita cadaverisatum est, ut nunquam reviviscere &
 germinare possit, quin potius eligas pro laborum tuo-
 rum objecto Magnesium, sive terram metallicam ru-
 bram, quæ in fodinis reperitur, & vide, num per
 benedictionem & gratiam divinam Tincturam elicere
 possis, quæ digesta cum Mercurio philosophorum eum
 brevi convertat in aurum. Hæc rectissima (crede mihi)
 est semita, quâ si incedes, nunquam errabis, vel si voto
 tuo excidas, fiet id sine magna expensarum jacturâ.
 Ego omnium ferè legi & relegi scripta, & multum
 fateor viris his debeo, qui totum nunc possideo arca-
 num, & quod alii quærunt inveni: dicam id Tibi in
 aurem. Inter centum artifices sunt nonaginta novem,
 qui

qui vel alios deceperunt , vel ab aliis decepti sunt
centesimum quem ingenuum & candidum esse dicunt,
quærimus omnes, nescii ad huc quæ ipsum terra alat.
Discas itaque meo exemplo cautius mercari. Hic niger
est, hunc tu Romane caveto Sin monitis meis auscul-
tare recuses, ingeminabis aliquando illud ex Prophe-
ta. *Comederunt alieni robur meum.* Gerunt ad unum
ferè omnes hos characteres in fronte. SCH Mo Mo,
& sub spe lucri credulos inani lactant spe, quam in-
dies protrahere student, ut aut Rex, aut Asinus inte-
rim moriatur, aut Præceptor. Nam profitentur artem
sine arte, cujus principium est mentiri, medium labo-
rare, finis Mendicare.

Tantum.



COROLLARIA
RESPONDENTIS

1.

Fonticuli in morbis curandis nihil conferunt
auxilii.

2.

Non datur spiritus lapidificus.

3.

Nutritio fit chylo non sanguine.

4.

Delectus venarum in V. S. administratione est
inutilis.

s. Opi-




5.
Opium est calidum.

6.
Vis opii somnifera adscribenda est particulis
scindentibus, fibrillas nervorum à partibus,
quibus annectuntur, solventibus, hinc fibrillæ
abeunt in cincinnos, unde stupor & conse-
quenter somnus.

7.
Balnea Conciliant somnum quatenus particulæ
dulces Herbarum & liquoris sese insinuant per
poros cutis Massæ sanguineæ, ibidemque mo-
tum sistendo impediunt, quo minus sanguis
tanto cum impetu in cerebrum ruere, &
spiritus animales magna in copia generari
possint.

F I N I S.






01 A 6512 (A)

ULB Halle
002 937 31X

3



2


TA → OL


nur Stk 10 bisher verknüpft
und Stück 39

R

VD 17







V. J.
O CHYMICA
RO,
AM
E ADJUVANTE
ESIDE
E JACOBO
hmiedt/
Principis Medico
Medicinæ Primario &
inario. p. t.
Magnifico,
mittit examini
HULDERICUS
t/ Hanoviensis.
io Medico.
MDCLXXXV.
CATTORUM,
KÜRSNERI, Acad. Typogr.

6.
15.

